



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Consultationes Theologicæ Et Spirituales Christiani verè  
fidelis & verè devoti ...**

... De Excellentissimis Dei


**Louis François <d'Argentan>**

**Augustæ Vindel. ; Dilingæ, 1701**

**VD18 90029526**

Sanctissimæ Trinitati.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45487**



# SANCTISSIMÆ TRINITATI.

**S**anctissima, Augustissima, Superadoranda Trinitas, Pater, Fili, & Spiritus Sancte; Ens Entium, extra quem non est nisi nihilum; Summe mundi plasmator, in cujus manu nihilum fit omnia. A te solo possidemus parvam hanc entis creati scintillam, quam tibi placuit donare nobis pro tuâ gloriâ & ingenti honore nostro. Cum ergo omnia acceperimus à Te, omnia tibi debemus; sed quodcunque tibi reddere possumus, infinitâ ratione indignum est, quod tuis præsentetur conspectibus. Non Tibi hic offero laborem meum, nec exiguam, quam impendi, operam, ut loquerer de Excellentissimis tuis in parvo hoc opere: Scio namque, me nimis quàm indignè de his loqui; Et ex intimo corde fateor, omne, quod meum est, haud esse nisi vilitatem, defectum ac miseriam, quæ magis apta sit tibi displicere, quàm cieri complacentiam. Verùm offero Te ipsum  
Tibi



E P I S T O L A.

Tibi ipsi: Tam dignum te hoc donum est, ut majus velle non possis. Tu iisdem te semper oculis intueris, sive in divinâ tuâ essentiâ, ubi Exemplar es omnis infinitæ pulchritudinis, quæ tuam constituit beatitudinem: Sive in rudi delineatione, quam de adorandis tuis perfectionibus facere conantur homines. Tu te ipsum semper agnoscis, non per rudia, quæ ipsi designant lineamenta, quæque potius te deformant, quàm tuam exhibeant formam; sed per illa, quæ intellectûs tui divini penicillum ab æterno exprimit in Te ipso, vivâ Tui imagine. Non videbis, o Majestas infinita, radiantes divinæ tuæ essentiæ, nec adorandarum perfectionum tuarum splendores, in informi hâc & caliginosâ picturâ, siquidem hæc nihil ex eo, quod es, statuit ob oculos. Impossibile est luminosam solis claritatem, atro effigia re carbone, nec intellectûs nostri tenebris plenum luminis tui splendorem; Nec ita temerarius sim, ut ausim â te petere: Respice te, Domine, hâc in imagine; sed profundissimâ, quâ possum, peto humilitate, ut aspicias illam in te ipso. Si dignaberis beare illam parvulo divini aspectûs tui radio, singularem illi conferes decorem

rem



EPISTOLA

rem & gratiam; Tu namque infinitus decor es, qui decore induis, quidquid intueris. Si dignaberis huc extendere manum tuam, evadet hoc nihilum, quidquid placuerit tibi: Tu namque origo vitæ es, quidquid vivificans, quod tetigeris. Quod si beabitur, ut placeat tibi, beneplacitum tuum illi saporem dabit, quo cunctas alliciat & afficiat animas.

O quàm optarem è cordis visceribus, ut nullum viseretur in opellâ hac tenui verbum, quod non ita divinarum magnitudinum tuarum laudibus sit plenum, ut altissimam earundem æstimationem a affectum æternum cunctis infereret mentibus! o facere si possem, ut omnes characteres flammæ essent, tantumque haberent ardorem, ut in omnium cordibus ferventiozem accenderent amorem, quàm sit ille Seraphinorum regnantium in cœlo! Tu potes, o Deus optime, tantam illis elargiri virtutem, quantam volueris: ideoque & illos prosterno ad pedos tuos, ut ipsam recipiant, probè sciens & confitens habituros nullam, nisi quam tibi placuerit illis communicare. Da gloriam hanc Tibi ipsi, Domine, ut postquam te feceris agnoscere, ab omnibus quoque nobis te facias amari.



EPISTOLA.

Haud ignoro, o Sanctissima Trinitas, indignam, quæ de Te loquatur, linguam esse mortalem, meliusque honorari te venerabundo silentio, quam verborum omnium lenocinio. Sed quandoquidem tibi ipsi placuit loqui nobis de Excellentis tuis, ac miseris nobis terræ homunculis revelare incomprehensibile hoc Mysterium, quod in te ipso agitur, quodque totum tuum per omnem æternitatem erit negotium: patere ut remittamus tibi, o Sol divine, cœlestis luminis radium, quem donasti nobis. Et quia verum est, quod Echo, quæ non est nisi concavitas, vacuitas & species quædam nihili loquentis, reddere non cesset quod accepit, & easdem remittere veritates ad se à loquente directas, quamvis nesciat, quid dicat: concede, ut è profundâ nihili nostri abyssu, faciamus quandam Echo ad Verbum tuum æternum, quod loqui nobiscum voluit, easdemque veritates, eademque verba, quæ nobis dixisti, remittamus ad Te, quamvis ita loquendo nesciamus, quid dicamus. Tu ipse es, qui loqueris, Domine, & tu ipse es, qui te intelligis: Echo nihil est, & nos nihil sumus. Tibi soli gloria, honor, & laus infinita in sæcula.

PRÆ-